



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Vmbra voluptatis multos decipit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

rem, nihil aliud intelligi voluerunt, quam tormenta mala conscientiae obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia, indefensa admissi sceleris admonitione laniantis, & semperque curas (si requiescere forte tentaverint) excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis; lege hac, quâ se iudice nemo nocens absolvitur, nec de se potest suam vitare sententiam. Itaque quisquis in furto Prometheus, in adulterio Tityum, in aliis sceleribus alios scelestos sequitur, opus est, vulturem, aquilam, suam scilicet conscientiam patiatur, carnificem nunquam moriturum. Nec immeritò Poëta viscera vocat *fecunda pœnis*; Quia *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Isa. 66. Nunquam non fodiet hæc aquila, nunquam non lacerabit hic vultur. Et observant Docti phrasin Maronis: *Immortale jecur tundens*: cur jecur? quia in eo sedes amoris & libidinis. Scilicet in quo quis peccavit, in eo punietur. Horat. lib. 4. Od. 3.

Incontinentis nec Tityi jecur
Reliquit ales, nequitiae additus
Custos.

Ubi per nequitiam *Intemperantia* & *Libido* significatur, cui suus apud inferos tortor additus, hoc est, affixus atque semper infestus est; nempe recordatio impuritatum commissarum. Graviter Doctor mellifluis in lib. de anima. c. 3. Extorres Cælo in carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiae vermem. Ibi dolor intolerabilis, timor horribilis, foetor incomparabilis, mors animæ & corporis sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, ut semper vivant; & sic vivent, ut semper moriantur.

III.

Ixionis rota. Ex Virg. & Ovid.

Ethicè.

Umbra voluptatis multos decipit.

Sibyllæ & Ænæ per inferorum loca euntibus incurrebat etiam in aspectum *Ixion*, Rex olim Thessaliæ, qui quòd Junoni flagitium intentalset, objectam pro illa nubem complexus est, & Centauros semiferos genuit. Quo crimine etiam exultans, detrusus est in Tartarum, & rotæ,

Qq 9 2

serpentibus

Serpentibus circumfusæ, implexus perpetuo circumacta giratus, inter anguium morsus ac laniatus, flagitium luit.

Ethica.

(b) Illorum Symbolum hominum est Ixion (ut Plutarchus in Ægide meminit) qui gloriam inanem pro virtutis imagine, veluti nubem evanidam amplectuntur, monstraque rerum animo efformant; sed delusi suis deinde cupiditatibus, per varias animi perturbationes misere circumaguntur. Rectè etiam applices vel ad turpem voluptatem, vel ad ambitiosam honorum, aut avaram divitiarum cupiditatem. Nam Juno *Honorum & Opum* dea dicitur, cujus amplexum plurimi desiderant, sed nihil aliud, nisi fluidam auram captant. *Viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis.* psal. 75. Quàm multos enim reperias, qui dies noctesque id unum agant, ut elegantiore forma libidinem suam expleant; aut fasces & magistratus obtineant; aut pecunias malis artibus corradant: qui tamen post multiplices & catenatas curas sua spe longissimè falluntur, vanoque hiatu deluduntur. Innumera sunt eorum exempla, qui improbis frustrati votis, quod malè desiderarant, nunquam tamen impetrarunt, perversaque voluntatis rei, cruciabili aternitatis orbe, apud inferos circumvolvuntur. Nempe stolidè, amantes sibi fingunt somnia, & in somniis nescio quàm comptas, ornatas, aureas, gemmeas, sceptroque superbas Junones; quarum amore insaniunt. Sed ô vecordes! nubes sunt, spectra sunt aëria, quæ deperitis: Cum cane Æsopico umbram in aquis captatis. Quot ego novi Juvenes (exclamat vir religiosus) quot viros sic deceptos, ut dum putarent Junonem se habere, ipsum cacodæmonem ambabus ulnis amplecterentur! Stengel. de Matrim. Huc facit, quod idem auctor in Parænesi de Ruina Luciferi c. 12. §. 9. fusè recenset ex Francisco Rossato, & Zeilero, historiar. tragic. p. 1. n. 1. Nos historiam in hæc verba contrahimus. Tribunus militaris, officium circitoris nocturni obibat in urbe Lugdunensi; fortè incidit in matronam, ore habituque venustam, cui ephebulus lucernam præferbat. Aspectus in libidinem accendit hominem; & præeuntem feminam, cum duobus scelerum adjutoribus ut sequeretur, rapuit. Acheruntica erat larva, Junonem puta Ixioni objectam. Commissò cum orcina mima flagitiò, eoque tergemino, Venus stygia repentè se talem, qualis erat, amansis suis ostendens, sublata veste, cadaver monstravit, cujus illi horrore spectaculi,

(b) *Umbra voluptatis multos decipit.*

euli, utique postquam & domus, & omnis ejus apparatus, & domina subito evanuit, exsternati & foetore avernali percussi, conciderunt, & porcorum ritu extenti jacuerunt. Omnes tres cæno conspurcati, & pæne etiam cooperti, quisque domum suam reportantur. Unus illorum mox vivere desiit, imò æternùm mori incepit; duo cæteri provixerunt, an suam in salutem, an longiores in pœnas, incertum est. Tu cave, ne quosvis in amplexu ruas. Quid enim fallacius & fugacius est nubibus? quæ & quanta ex illis oculorum ludibria? dum putamus spectare arces arcibus, montes montibus impositos, gigantum cælo pugnantium portenta apparere, acies armatas inter se hostiliter concurrentes bellari, repente & momento citiùs in auram grandia hæc nubium spectacula evanescent. Non aliter se habent spes, timores, amores, gaudia mortaliùm: videmur amplexu illa stringere; & subito è sinu evolant, nostròsque hiatus deludunt. Ælius Lampridius in Heliogabalo memorat, parasitos ab eo ad rotam aquariam ligatos, & cum vertigine sub aquas missos, rursùsque in summum revolutos, eosque *Ixionios amicos* vocatos fuisse. Præclarus in hac rota typus inconstantis fortunæ, præsertim aulicæ, quæ alios in altum subito evehit, alios ex nubibus ad inferos repente deprimit. Ideirco rotatiles hi Ixiones cum calculis arithmetico-rum comparantur, qui nunc decem millia, nunc unum significant, prout super abacum sursum, deorsùmque volvuntur. De Centauris semiviris & semibrutis ex Ixionia libidine procreatis hoc unum hîc suffecerit monuisse: foedissima tunc monstra & flagitia nasci, rotis inferorum digna, quando *Heris & Onani* filiorum Judæ, Genes. 38. turpitudines repetuntur.

IV.

Sisyphi Saxum. Ex Virg. 6. Æn. & 4. Metam.

Ethicè.

Inutiles hominum labores ac cupiditates.

Ovidius 4. Metam, post Tityum, Tantalum (de quo superiùs egimus) Ixionem, etiam Sisyphi, & Danaidum Beli filiarum in Tartaro pœnas dantium meminit, dum ita canit:

Viscera præbebat Tityus lanianda, novémque
Jugeribus distractus erat. Tibi, Tantale, nullæ

Q 9 9 3

De-